



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Franciscus Bonhomius laudatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

Atque utinam licuisset mihi in ministerio meo
 Friburgensibus ita præluere, sicut Collegij, &
 Prouinciæ nostræ seniore[m] facere oportebat, ut
 caritate, & vigilantia me cunctis præsentibus,
 & absentibus accommodarem, vitæq; perfectio-
 ris exemplar iunioribus declararem. Igitur do-
 mesticos fratres amanter moneo, simulq; rogo,
 ut quod à me domi, ac foris hac in parte neglectū
 fuit, virtute illi sua suppleant, suisque laboribus
 in Christo compensent. Excubias agite non so-
 lum, ut hoc oppidum, eiusq; ditionem in fide sa-
 na confirmetis, verum etiam, ut vicinos lupos, &
 vrsos perpetuo insidiantes gladio spiritus arcea-
 tis. Præsentem hic Clerum, & Senatū reueren-
 ter obseruate, & iuuentutem vobis concreditam,
 tum in studiis, tum in Catechismo, omniq; vir-
 tute prouehere pergite: nec minus adultis, quam
 iunioribus ad Catholicam pietatem instaurandā
 verbo, exemplo, & sacramentis simul operam
 date. Præterea nequaquam vos obliuio capiat
 eximij Patroni, cuius memoria in benedictione
 est Domini Francisci Bonhomij Vercellen[s]is E-
 piscopi, Legatiq; Apostolici, ut de præsentē Hel-
 uetia, ita & de societate nostra optimè meriti. Hu-

Franciscus Bō-
 homij laudat.
 1547.

ius quidem singularis prudentia, & integritas in reformanda Ecclesia, tum fauor, & amor mirificus erga Friburgenses effecit, vt Gregorius XIII. Pontifex Maximus nostros huc iusserit destinari, cum nihil tale cuperemus. Iudicauit enim operæ pretium, vt insignis hæc Respublica societatis nostræ industria, & studio, velut inuietum extaret Domini propugnaculum, seque fortiter aduersus imminentes aduersarios in pietate Catholica tueretur. Quare nostrum est, fratres, sancto dicti Episcopi proposito, iustoque desiderio, simulq; præclaræ Friburgensis Senatus, ac populi expectationi facere satis, vt quotquot in Collegio nouo sumptuose nobis, & eleganter fabricato, cuius fundamenta ego benedixi, per Dei gratiam vnquam commorabuntur, se talibus fundatoribus, ac Patronis gratos, & in hac ampla messe fidos operarios præbeant, qui pacis, bellique tempore factis potius, quàm verbis se officij sui memores esse declarent. Cum v. caducum corpus meum, quod vermium cibus esse debet, terræ mandaue-
ritis, si apud vos quidem de vita migrauero, animam in primis immortalis Deo commendare nõ desinatis: vt ego per diuinam misericordiã emaculatus

culatus electorum sacerdotum consortio aggre-
ger; ac itidem pro vobis vestroque Collegio, &
Oppido Dominum precer in regione viuorum
fiat, fiat.

Sed ego haec res à Canisio gestas exequu-
tus, tametsi promptum est arborem ex fruge nos-
se, tamen facturus operæ pretium videor, si ante-
quam excessum referam, ipsum met Canisium, &
ipsam per se, quasi stirpem, vnde extitere fructus,
coner sub aspectum ponere. Ac principio illud
ponendum est, quæ tria procuratorem animarum
perficiunt, suntque agendarum rerum præsidia
maxima, sciëntiam primum humanarum rerum,
ac diuinarum, Tum eloquentiam: Postremo illu-
strem virtutem, in Canisio sane fuisse eiusmodi,
atq; ita inter se cohærentia, inuicemq; complexa,
vt nihil ad speciem pulchrius, nihil ad agendum
aptius iure quisquam desiderarit. Secundum sci-
entiam componebatur vita: ex vtraq; manabat e-
loquentia. Quippe sciunt multi, multiq; dicunt,
neutriq; faciunt, & peccatum est eis. Faciunt qui-
dam, sed scientia eos, aut eloquentia destituit, &
damnum est proximis. Canisio scientia erat nor-
ma viuendi, vita dicendi. Non enim præclarius
f 3 sciuit,

*Virtutes Cani-
sij.*

*Perfecta in illo
Evangelice
Procuratoris
forma.*